

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0552

0550

0556

0546

0561

0541

0601

0501

0651

0451

1051

0051

Ende

Anfang

537

dominari possent in utraque, tamquam medii; secundo, ut
negotiationibus mundi esset via ubique negotiandi, et ipsi
Aegyptii telonia et partes de universis acciperent, cum non
esset via, nisi per eos. Et profecto, res magnifica fuisset, si
opus perfecissent. Nam de Venetiis, imo de Flandria et
Hibernia navigassent in Aegyptum et per Nilum ascendissent
in arabicum sinum et devenissent in cinnamomi regionem et
usque in Indiam opulentissimam devenissent, de qua dicunt
inter alia miranda, quod uno anno habeat duas aestates et
duas hienes et aureos montes, reales non phantasticos, et sint
in ea XLIV regiones. Sic per mare indicum via fuisset
occidentalibus in Persidem, Parthiam, Medium, in Arabiam
felicem, in Saba et Chaldaeam, et populis orientalibus patuisset
via etiam ad nos et per hoc opus tres mundi principales par-
tes, scilicet Asia et Africa cum Europa junctae fuissent.

His electi Aegypti Ptolomaei instantia magna conabantur
promontoria scopulosa dividere ad inducendum mare induit
Herculea virtute, qui traditione vetustissima dicitur montem
perpetuo jugo junctum continentem oceanum divisisse et duos
montes (**b**), Abilam et Calpem, ex uno fecisse, per quorum
medium mare mediterraneum, quod nondum erat in terris,
immisit, ut patet supra fol. 36.

In hoc Aegyptiorum conatu, si habuissent Herculem cooperatorum et Titan cum filiis suis, qui bellum contra Jovem
et caeteros deos moventes conabantur eis coelum eripere et
ideo dicuntur montes montibus superposuisse, ut sibi viam
in coelum sternerent; si tales montium transpositores habui-
sent, facillime mare Aegypto induxissent. Laborantibus igitur
Aegyptiis in praefato opere convenerunt sapientes et magi
Aegyptiorum et de opere contulerunt, consulentes super in-
genti negotio inchoato, an utile et expediens fieret? Et inventa
veritate regi Ptolomaeo omnibus modis suadebant, cessandum
ab opere, imo totis conatibus Aegyptum universam concurrere
ad obsistendum et resistendum volenti mare inducere, tanquam
perniciosissimo terrae Aegypti inimico. Nam ex concursu
duorum illorum marium tota Aegyptus absorberetur et marinis
aquis obrueretur. Scimus enim, inquiunt, freti furores stabiles
non esse, sed ubi locum exeundi invenerit, furiose erumpit

